

# Electronic Manipulus florum Project

## www.manipulusflorum.com

### Predicacio x

#### cum editione moderna

Fructus et enim terre absque pecunia comedere est ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem ecclesie predicationis premium non prebere.

Terre igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesie commoda ad usum corporis percipit, sed exhortacionis ministerium non impendit. Quid ad hoc nos pastores dicimus qui aduentum districti iudicis precurrentes officium quidem preconis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti manducamus? Exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus quod subiectorum debemus cordi.

Gregorius XXII. libro moralium exponens illud Iob XXXI.: Si fructus terre comedi absque pecunia.

Fructus etenim terrae absque pecunia comedere est ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiae praedicationis premium non praebere. De qua uidelicet praedicatione auctoris uoce dicitur: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et ueniens ego receperissem utique quod meum erat cum usura.* Terrae igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. *Quid ad haec nos pastores dicimus, qui aduentum districti iudicis praecurrentes, officium quidem preconis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti manducamus?* Exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus quod subiectorum debemus cordi.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 22, 22 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.1132, ll.2-13).